Lectio sci euangelii secdm Lucam.

In illo tempore. Exiit edictum a cesare augusto. ut describeretur universus orbis. hec descriptio prima facta est p̄side syrie cyrino. Et ibant omes ut p̄fiterent singuli in suam ciuitatem. Et cet.

Omel uenerab Bedae prbi de ead lect.

Audiuimus ex lectione euangelica fratres mei. quia nasciturus in mundum redemptor mundi dominus noster ihesus xpus. exiit edictum a cesare augusto. qui tunc mundani regni apicem tenebat. ut mundus describeretur universus. Qd non casu egisse putandum est. sed certissima dispensatione eiusdem nostri redemptoris intellegendum est esse factum. Ipse enim mediator dei et hominum sicut matrem sibi diuinitus quam uoluit praeuidit de qua nasceretur. quando uellet humanitus. ita etiam tempora natiuitatis quae uoluit elegit. immo ipse ea qualia uoluit ei donauit. talia uidelicet. in quibus sopito turbine bellorum. noua pacis insolita tranquillitas totum regebat orbem. Quid enim manus in hac una potuit esse pacis indicium. quam ab uno homine orbem describi uniuersum. atque unius census nomismate peluci. Matrem quippe elegit uirginem. quia non alitur dei filium nasci in carne. quam de intemerata genitrice decebat. Tempus quando nasceretur summae pacis elegit. quia haec nimirum ei nascendi in mundo causa fuit. ut genus humanum ad superna pacis dona reduceret. hinc et enim scriptum est. Ipse est pax nostra. qui fecit utraque unum. idest angelis et hominibus. una dei domum pius mediator et reconciliator instituit. Pacis et temporibus natus est dominus noster. ut etiam statu temporis ipsum se esse doceret. de quo praemissa prophetia dicebat. Cuius dilatabitur eius imperium et pacis non erit finis. Unde bene idem propheta alias cum incarnationis illius ac nostrae redemptionis sacramenta mistico sermone describeret dicens. Et erit innouissimis diebus paratus mons domus domini in uertice montium. et eleuabitur super colles. et fluent ad eum omes gentes. serenitatem quoque pacis quae tunc esset futura manifeste designauit subiciens. Et conflabunt gladios suos in uomeres. et lanceas suas in falces. non leuabit gens contra gentem gladium. nec exercebuntur ultra ad praelium. et per quam exhortando subiunxit. Domus iacob uenite et ambulemus in lumine domini. Premisit ergo tempora pacis. et sic apparens in carne ipse auctor pacis et temporum dator primo domum iacob id est plebem israheliticae. deinde cunctis gentibus. ad se confluentibus. tanquam lucis aperuit. ac pacis et inde gaudia praedicauit. Haec praeeundum. quia et ipse pacis trenae serenitatem nato regi celesti non solum testimonium gratiae praebuit. sed etiam obsequium impendit. qua praedicatoribus uerbi illius per grandi orbem facultatem tribuit. et ubique quoque uellent euangelium gratiam disseminandi. Qd fieri minime posset. si non uno totum orbem regeret imperio. Sed etiam ipsa totius orbis descriptio quae tunc rege facta memoratur. celestis opera regis manifeste designat. quia ad hoc nimirum apparuit in mundo. ut de cunctis per orbem nationibus electos in unitatem fidei suae colligeret. ac nomina eorum sicut ipse praemisit. in caelis scribere in celo. hoc quoque. quia ad edictum augusti ibant omes ut p̄fiterent singuli in suam ciuitatem. in nostri regis et nostro seruitio spiritalium agendum. illum quippe ciuitas ecclesia sancta est. quae partim iam cum domino regnat in celis. et post finem huius seculi perfecta in aeternum tota cum illo regnabit. In hanc ergo ciuitatem debemus omes ire. nullum autem salubri itinere oportet excusari. Omes nos enim necesse est nato regi debitum pendere censum. hoc est in uniuersitate nunc ecclesiae presentis iussis obtemperare diuinis. et ad ingressum patriae celestis. infatigabili bonorum operum cursu properare. Dabat autem in professione census denarius quod decem numorum in se pondus habebat. cesaris imaginem continens et nomen. Qd nos quoque spiritalium oportet imitari. Solum enim regi nostro denarium cum .x. praecepta legis illius impere satagimus. In quo uidelicet denario nomen eiusdem regis nostri o scriptum gestamus. cum in cunctis actibus